



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 24. Richemundius cum copiis Gallicis in Anglia appulsus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Secul. XV.
A. C. 1485.

perbene noverat. Richardus etiam Landasium, qui plurimum apud Britannum valebat, adeo arcte sibi devinxerat, ut eum in omnibus sibi ancillantem haberet: tempestive autem Heliensis Episcopus eo tempore in Flandria morabatur, qui proditionem inter Angliæ Regem & Landasium conflatam edoctus, nullius moræ dispendio Richemundii Comitem de periculo certiorē reddidit. Hinc ille Veneto nonnisi quinque suorum stipatus clam aufugit, sparso ruris voluptatibus fruendi prætextu. Jam aliquot Leucarum Veneto distabat, cum suorum quatuor, mutato itineris cursu, præcedere, ac nulla statione facta ejus adventum in finibus Galliae præstolari jubet: Cum igitur solus esset, ac nonnisi unicum haberet famulum, studiose Agasonis vestem induit, sicque personatus tanta equorum celeritate ad Andegavensis Provinciae confinia pervenit, ut Equites a Landasio, qui Comitis fugam compererat, submissi solida hora tardius adventassent.

§. XXIV.

Richemundius cum copiis Gallicis in Anglia appulsus.

Polyd. ibid.
lib. 25.

Paulopost Angli, quos Comes Veneti reliquerat, eum quoque sequebantur:
his

his igitur junctus, ad Regis Franciæ au-
lam, quæ tum Langesiæ hærebat, con-
tendit. Ibidem a Rege quidem benevo-
le, majori tamen affectu a Bellojovii Co-
mitissa exceptus est: hæc enim Britan-
niam denuo Gallicæ coronæ jungendam
certo sperabat, proin consiliis suis haud
efficacius medium fore arbitrabatur,
quam si Comes Angliæ solio restitueretur.
Quare pro Richemundio quanto-
cius nova classis, ac recens quatuor mil-
lium a longa militia exercitatissimorum
militum exercitus instruitur, hisque sup-
petiis auctus Comes, die prima Augusti
Havrea solvens, septimo navigationis die
in Valliæ Ducatu Milfordiæ portum in-
travit, a complurimis exceptus Fauto-
ribus, quorum amicitiam ejus Mater sol-
licite foverat, suo nomine pollicita, a Fi-
lio ejus, si Richardus solio Angliæ ex-
tus esset, Eduardi IV. Filiam in uxorem
fore seligendam, eo fine, ut hoc vinculo
utriusque Familiæ diutino dissidio scissæ
jura denuo in unum coirent, præci-
pue cum huic consilio patriæ suæ leges
suffragarentur, vi quarum Filix a succes-
sione per legem Salicam non exclude-
rentur.

*Sæcul. XV.
A. C. 1485.*

*Argentre
de Bretag.
lib. 12.*

§. XXV.